



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis  
- Cum Præfatione seu Præmonitione necessaria Bibliopolæ ad Lectorem

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Reverendissimo, Prænobili, Et Amplissimo, Domino Domino Joanni  
Baptistæ, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40113**

REVERENDISSIMO, PRÆNOBILI,  
ET AMPLISSIMO,

DOMINO DOMINO

JOANNI BAPTISTÆ,


CELEBERRIMI COLLEGII AD S. CRUCEM  
AUGUSTÆ, CANONICORUM REGULA-  
RIUM ORDINIS S. AUGUSTINI

PRÆPOSITO ET ABBATI LATERA-  
NENSI DIGNISSIMO,

*EJUSDEMQUE SS. ORDINIS PER DIOECESIN  
AUGUSTANAM*

VISITATORI VIGILANTISSIMO,

DOMINO SUO PERQUAM GRATIOSO.



Acilè patieris, REVERENDISSIME, ac GRATIOSE  
DOMINE PRÆSUL, opus hoc gratiosos TUOS  
subire obtutus, quod Sanctissimis quondam oculis  
maximè placuisse noscitur. Primum enim operis  
hujus Patronum si respicimus, Sanctissimum Pontificem CLE-  
MENTEM XII, Patrem verè clementissimum habuit; Autho-  
rem verò A. R. P. D. Bartholomæum Gavantium, Congreg. Cleric.  
Reg. S. Pauli, Sac. Rit. Congreg. Consultorem celeberrimum.

Cum verò & Sol ipse per specula quædam lucidiora radios  
suos visu amœniores refundere soleat, Gavanto nec minimam  
fecit injuriam, qui opus illud, *Theaurum* scilicet *Gavantium*,  
observationum, ac additionum Elucubrationibus, tot quasi  
splendidissimis gemmis magis conspicuum, ac locupletius  
reddidit. Atque celeberrimum hinc *Cajetanum Mariam Merati*  
quando recensemus, operis *Gavantium* Paraphrasten, æque Ro-  
manum, ac Consultorem peritissimum, TIBI REVEREN-  
DISSIMO Sacrorum Rituum Zelotæ notissimo, quidni præ  
cæteris impensissimè consecremus? *Theaurum* videlicet *The-  
sauro* addere minimè inconsultum putavimus: at cui *Thesauro?*  
Eidem, quem Secula supra quinque, quadraginta & uno in-  
super anno, in *Eucharistico-Thaumaturgâ Sacratissima Hostia Ru-  
bicunda*, nunquam deficientem, semper recens fœcundum,  
ubertimis beneficiorum fructibus copiosissimè refertum, Di-  
vinis quoque prodigiis vario gratiarum genere in egentes in-  
numeros liberalissimè profusum, TU, REVERENDISSIME,  
ejusdem *Theaurarius* hodiedum feliciter tueris, & possides,  
*Theaurum* habes, quem Coronata tot Capita, Imperatores,  
Reges, Principes, avidissimè quæsiere, unde & isti inexplicabi-  
le solatium, omnis hominum status opportunum remedium,  
claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, ægri Sanitatem,

torque

totque cum ipsâ morte luctantes securissimam adepti sunt libertatem. *Thesaurus* verè pretiosus, quia continua per Se-  
cula quinque & annum supra quadragesimum mirabilissimè  
*Incorruptus*, quotidie adhuc in omnes stupendè *Beneficus*.

Quantis verò iisque sacerrimis Ritibus Eucharisticus iste  
*Thesaurus* tuus coli, & custodiri debeat, TUA, REVEREN-  
DISSIME PRÆSUL, scivit, & elapso primùm anno, palàm  
fecit exquisita Pietas, & sollicitus Amor; dum Arcam eidem,  
ut pro merito honorificentissimè conservaretur, splendidissi-  
mè auream, adamantibus gemmisque pretiosam, sacratissi-  
mam nimirum hujus Candido-Rubicundi sponsi tui Hospita-  
tricem thecam, magnis expensis, recens curasti elaborari.  
Tuus igitur quoque sit adventitius hic *Thesaurus* meus, qui  
totus in eo est, ut in adoratione Sanctissimi Altaris Sacramenti,  
cultu Sacrorum, ac celebratione Mysteriorum Dei omnem  
incuriam arceat & neglectum, certas verò Leges, saluberrimas  
Regulas, & sacerrimos Ritus præbeat, quibus ea omnia,  
quæ ad Dei cultum pertinent, ad ædificationem, suâ cum  
dignitate & decentia, ritè peragantur. Neque spreveris, RE-  
VERENDISSIME ac GRATIOSE DOMINE, hunc *Thesau-  
rum*; qui enim *Thesaurum* in fundo alieno invenit, si jus fas-  
que servare velit, partem reservet sibi, partem Domino fundi  
illius offerat, oportet: inventus est *Thesaurus* hic in fundo tuo  
sacro; id est domo, quam recens conduxisti, Parochiali tua;  
reservata igitur mihi utilitatis, & commodi parte, alteram  
TUO nonnisi Honori, ac Celeberrimo Nomini æquissimo  
quodam jure consignare debui. Quamobrem si cætera  
omnia desint, TUA ipsius erga Purpuratum tuum *Thesaurum*  
Pietas, rerum divinarum insignis Amor, Rituum zelosa ob-  
servantia, ipsum denique jus ac æquitas, hæc, inquam, omnia  
facile suadebunt, *Thesaurum* hunc præ omnibus TIBI confi-  
gnandum esse, atque offerendum. Sicut autem præsens,  
&

& communi doctissimorum Virorum arbitrio præstantissimum opus nostrum supra vigesimam quartâ jam vice publicam in lucem prodiit, ita annos TUOS Sacro- Canonico- Jubilæos, quos Deo Auspice *Sacerdos* viginti quinque annorum *Jubilatus* feliciter emensus es, vigesima hac quinta Editione sua festivis quoque Ritibus suis condecorare voluit. Dùmque Jubilæum te Sacerdotem celeberrima tua Canonica jubilando, ut par est, complaudens honorat, mihi quoque Parochiali tuo, hisce dicatis TIBI Ritibus, vota votis cumulare, *plenumque Seculum* precari liceat. Hæc igitur sufficiant, REVERENDISSIME ac GRATIOSE DOMINE, ut animum meum ad obsequia tua, quæque ad gloriam tuam facere quoquo modo mihi videbuntur, paratissimum, hoc opere, è Parochiali fundo tuo fideliter exhibito, testatum facerem. Nec aliud mihi persuasit TUA in omnes gratiosa Humanitas, & mira quædam quoscunque TIBI devinciendi vis, quàm patere etiam mihi aditum ad gratiæ TUÆ Adyta, qui aliis quoque patuit; qui ut diu adhuc patere possit, Deum ter Optimum Maximum suppliciter venerans oro, atque obsecro, ut TE REVERENDISSIMUM ac GRATIOSUM PRÆSULEM celeberrimo Collegio tuo, quod prudentissimè gubernas, quàm diutissimè servet incolumem. Ita animatus vovet

Reverendissimæ, Prænobilis & Amplissimæ  
Dominationis Tuæ

Servus obsequiosissimus  
Jodocus Henricus Müller.